  

CLEMENS PAPA VIII.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

Eligioſarum perſonarum paci & quieti conſulentes dubia,quæ ſuper electione ſuorúm ſuperiorum & ſcandala,quæ pro tempore oriuntur noſtra nos decet auctoritate terminare & euitare. Cum itaq; ſicut accepimus fe: re: Sixtus Papa V. noſter Prædeceſſor motu proprio ex certaq; ſcientia ordinauerit, vt in poſterum Capitulum generale Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, tertio quoq; anno celebraretur, & in eo generalis Magiſter dicti Ordinis, ad aliud triennium & non vltra confirmaretur, ita vt ſexto quoq; anno nouus eligeretur, prout in eius literis ſub dat. Romæ die xxvj. Aprilis M. D. L X X X I X. ſui Pontificatus Anno Quarto expeditis latius continetur; cumq; ſicut Nomine dilecti filij Bernardi de Vargas Procuratoris generalis dicti Ordinis nobis nuper expoſitum fuit,à nonnullis dubitetur an confirmatio Generalis Magiſtri dicti Ordinis in Capitulo generali intermedio ipſius Ordinis facienda, ſit libera & ad nutum electorum pro ſuffragia ſecreta,An verò ſit neceſſaria & publica, & huius dubij occaſione ſuperioribus annis lites, differentiæ, aliaq; incommoda in dicto ordine fuerint orta;nos tenorem literarum dicti Sixti Prædeceſſoris perinde,ac ſi de verbo ad verbum inſereretur,præſentibus pro expreſſo habentes;ſupplicationibus dicti Bernardi hac in parte inclinati,ac certis rationabilibus cauſis adducti,ex ſententia Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinaliũ negotijs regularium præpoſitorum, quibus hoc negotium diligenter examinandum commiſimus,harum ſerie declaramus dilectum filium Alphonſum de Monrroy modernum Magiſtrum Generalem dicti Ordinis etiam abſq; alia confirmatione in ſuo officio durare ad ſexennium, eiuſq; electionem in generalem per Venerabilem fratrem noſtrum Dominicum Archiepiſcopum Sipontinum noſtrum,& Apoſtolicæ Sedis in Regnis Hiſpaniarum Nuntium ad ſexennium factam(ſicut iacet)quatenus opus ſit,de nouo auctoritate Apoſtolica confirmamus. de cetero autem perpetuò ſtatuimus,& ordinamus,quod generalis Magiſter dicti Ordinis in Capitulo generali, quod tertio quoq; anno celebratur,ad aliud triennium confirmari poſsit, ita vt ſexto quoq; anno nouus eligi debeat, ita tamen quod confirmatio dependeat à voluntate Capituli,quod Generalem alias ritè & canonicè electũ poſt primum triennium ſi ita expedire iudicatum fuerit,non confirmare, ſed alium eligere valeat. ſicq; & non aliter per quoſcũq; iudices ordinarios,& delegatos ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiri debere, & ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari irritum & inane decernimus,quocirca venerabilibus fratribus Toletañ. Hiſpaleñ. & Cæſarauguſtañ. Archiepiſcopis per præſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut vnus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios,vbi,& quando opus fuerit præſentes literas & in eis contenta quæcũq; ſolẽniter publicantes faciant declarationem præfatam, & noſtram voluntatem à Magiſtro Generali, Prouincialibus,Diffinitoribus,& Electoribus,nunc,& pro tẽpore exiſtentibus perpetuò obſeruari, ac eos ad quos Capitulis generalibus dicti ordinis intereſſe ſpectat, & quomodolibet in futurum ſpectare poterit,ad huiuſmodi obſeruantiam omnibus iuris, & facti remedijs cogant, & compellãt,inuocato etiam ad hoc ſi opus fuerit auxilio brachij ſecularis,non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis,ac dicti Ordinis,etiam iuramẽto, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſq; contrarijs quibuſcũq;. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 14. Iunij 1604. Pontificatus Noſtri Anno Decimotertio.

M. Veſtrius Barbianus.

ROMAE, Ex Typographia Cameræ Apoſtolicæ. M. DCIV.



CLEMENS PAPA VIII.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

Religiosarum personarum paci & quieti consulentes dubia, quae super electione suorum superiorum & scandala, quae pro tempore oriuntur nostra nos decet auctoritate terminare & curare. Cum itaq; sicut accepimus fel. rec. Sixtus Papa V. noster Praedecessor motu proprio ex certaq; scientia ordinauerit, vt in posterum Capitulum generale Ordinis Beatae Mariae de Mercede Redemptionis Captiuorum, tertio quoq; anno celebraretur, & in eo generalis Magister dicti Ordinis, ad aliud triennium & non vltra confirmaretur, ita vt sexto quoq; anno nouus eligeretur, prout in eius literis sub dat. Romae die xxvj. Aprilis M. D. L X X X I X. sui Pontificatus Anno Quarto expeditis latius continetur: cumq; sicut Nomine dilecti filij Bernardi de Vargas Procuratoris generalis dicti Ordinis nobis nuper expositum fuit, a nonnullis dubitetur an confirmatio Generalis Magistri dicti Ordinis in Capitulo generali intermedio ipsius Ordinis facienda, sit libera & ad nutum electorum pro suffragiis secreta, An vero sit necessaria & publica, & huius dubij occasione superioribus annis lites, differentiae, aliaq; incommoda in dicto ordine fuerint orta; nos tenorem literarum dicti Sixti Praedecessoris perinde, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expresso habentes, supplicationibus dicti Bernardi hac in parte inclinati, ac certis rationabilibus causis adducti, ex sententia Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis regularium praepositorum, quibus hoc negotium diligenter examinandum commisimus, harum serie declaramus dilectum filium Alphonsum de Monroy modernum Magistrum Generalem dicti Ordinis etiam absq; alia confirmatione in suo officio durare ad sexennium, cuiusq; electionem in generalem per Venerabilem Fratrem nostrum Dominicum Archiepiscopum Sipontinum nostrum & Apostolicae Sedis in Regnis Hispaniarum Nuntium ad sexennium factam, sicut accepimus, quatenus opus sit, de nouo auctoritate Apostolica confirmamus. de caetero autem perpetuo statuimus & ordinamus, quod generalis Magister dicti Ordinis in Capitulo generali, quod tertio quoq; anno celebratur, ad aliud triennium confirmari possit, ita vt sexto quoq; anno nouus eligi debeat, ita tamen quod confirmatio dependeat a voluntate Capituli, quod Generalem alias rite & canonice electum post primum triennium si ita expedire iudicauerit, non confirmare, sed alium eligere valeat. sicq; & non aliter per quoscumq; iudices ordinarios, & delegatos sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiri debere. & si secus super his a quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari irritum & inane decernimus, quocirca venerabilibus fratribus Toletan. Hispalen. & Caesaraugustan. Archiepiscopis per praesentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum per se, vel alium, seu alios, vbi, & quando opus fuerit praesentes literas & in eis contenta, quaecumq; solemniter publicantes faciant declarationem praefatam, & nostram voluntatem a Magistro Generali, Prouincialibus, Diffinitoribus, & Electoribus, nunc, & pro tempore existentibus perpetuo obseruari, ac eos ad quos Capitulis generalibus dicti ordinis interesse spectat, & quomodolibet in futurum spectare poterit, ad huiusmodi obseruantiam omnibus iuris, & facti remedijs cogant, & compellant, inuocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachij secularis, non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, caeterisq; contrarijs quibuscumq;. Dat. Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die 14. Iunij 1604. Pontificatus Nostri Anno Decimotertio.

M. Vestrius Barbianus.

ROMAE, Ex Typographia Camerae Apostolicae. M. D C I V.